



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Rumoldus Ep. Mart. 1. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

Quid mirum, ô parentes, si quos vobis Deus tantisper concedit filios, cùm lubet, aufert iterum? Suum ille repetit, & quas vos in liberis delicias quaeritis, amore, si fas est dicere, etiam ille deperit. Ita RUMOLDUM Davidis Scotorum Regis filium, non nisi precibus extortum, in tempore sibi iterum vindicavit. Angelo misso, qui juvenem edocuit, quantum æternatura regna periturae antistarent. Quare RUMOLDUS cælo jam tum oculos circumferens facile sponsam, sceptrum patrum & adeò humana omnia despexit. Sed & Pontificatum Dublinensem, cùm patre demortuo ad regni gubernacula abstrahere illum cives vellent, fugâ deseruit, iterum ad hoc optimo consiliario Angelo usus. Hoc tam bono Duce Romam, inde in Brabantiam profectus, Adoni Comiti precibus suis apud Deum filium impetravit, & hunc ipsum, ut bis se RUMOLDO deberet, aquis haustum invitam restituit. Inter hæc dum templum alienâ liberalitate, sed suis curis, ædificat, geminæ operæ consilium viri è medio tollendi ceperunt, opum, quas ingentes penes ipsum credebant, hereditatem parricidio adituri. Attanti sceleris merces fuit

num-

416 VITÆ SANCTORUM. I. Iulii.  
nummus tergeminus repertus. Corpus in  
fluvium abjectum cælestè prodidit lu-  
men, quod omnem ab eo locu noctem fu-  
gabat. Extraxere igitur pisca tores Rumol-  
dum mortuum, ingentem tamen vel ta-  
lem Adoni comiti prædam. Ex Lippeloo.

*Expecta quotidie finem vitæ, & ad iter  
illud te para; quâ enim horâ mīmīnè putas,  
mandatum afferetur: vñ autem illis, quos  
tunc imprudentes opprimet & imparatos.  
Cordis compunctio est curandis hominum  
animis medicina. S. Ephrem de Vitâ  
spirit.*

S. EBERHARDUS EPISC. I. Iulii.

**E**BERHARDUS gente Bojus, genere  
Comes, cùm ē Collegio Bambergensium Canonicorum ad Religiosorum  
se juvenis transtulisset, à suis inde no-  
lens extractus & in Gallias est amanda-  
tus; ut (quod hodie etiam amat fieri)  
cum veste mores sanctos & sanctiora  
proposita poneret. Sed non præpotuere  
Numini amicorum inimica consilia. Re-  
dux enim in idem monasterium se abdi-  
dit; Biburgensi dein Asceterio, mox  
etiam Salisburgensi Episcopatui jussus  
præfessi, in miseros, si quisquam aliis,  
pius fuit. Itaque Promum Condum eti-  
seniculum insequi hospitem Biburgo Ra-  
tisponam usque compulit, & quem tran-  
seundi negaverat, vini haustum defer-

xc.